Sect 2. *Amenta fasciculata.*

Aus dieser Abtheilung besitze ich *B. acuminata* Wall. (*cylindrostachya* Wall) aus dem Himalajah und *B. nitida* Don. aus Assam. Allein zu derselben so begrenzten Section gehört, nach den beiden Abbildungen bei Pallas und Trautvetter (Bull. Mosc. 1857. 1. t. 7.) zu schliessen, auch die ächte *B. davurica* Pall., wiewohl diese auf die Mehrzahl der Amenten gegründete Verwandtschaft bis jetzt nicht beachtet zu sein scheint.

Somit habe ich meine Ansicht über die meisten, von Regel durch seine umfassenden Tafeln so kenntlich gemachten Birkenformen ausgesprochen: nur über *B. tortuosa* Led. aus Sibirien, *B. cordifolia* Reg. aus Nowaja Zembla, und *B. urticifolia* Hort. angeblich aus Schweden, habe ich kein eignes Urtheil, wüsste dieselben nach ihren Beschreibungen von *B. alba* bis jetzt auch nicht sicher zu unterscheiden.

Recentes animadversiones Nylanderianas examinat Dr. Th. M. Fries.

In Nr. 34 hujus diarii nonnullae adsunt Cl: Nylandri observationes, quibus mea in Flora Nr. 28 et 29 recepta responsa refellere conatur. Quamquam, teste Nyl., ejusmodi sint mea argumenta, ut „eadem vix perlegendo patientiam suam tentaverint" lectores, coactum me tamen censeo recens hoc opusculum examinare. Quod paucis licet absolvere, quum magnam rerum partem, de quibus antea fuit controversia, silentio nunc praetereat Nyl.; persaepe quoque (v. c. de *Agyrio*, *Cetraria nigricante*, *Sphariis*, cephalodiis e. s. p.), ut facillime perspicitur, de verbis [1]) modo dimicare studet, unde fructus scientiae non liceat carpere. Sequentes, ut mihi quidem videtur, nunc modo restant res, quarum nonnullae perexigui momenti:

---

[1]) Ne declarandi Cl. Nylandro pateat occasio, me „hanc rem more solito lubrice fugere", verba mea de *Pannaria brunnea* et *hypnorum* paucis attingam, quamvis syllabarum modo aucupi haec controversia possit esse gravis. Dixi has plantas, a N. ad diversa genera diversasque subtribus relatas, „maxime esse affines et generice vix tute distinguendas". Quod N. „contortum", „titubans", „turbidum" atque „haud explicandum" censet. Quod mihi quidem non obscurum; e contrario haud explicandum esset, si dixissem: „maxime affines sunt et generice tute distinguendae."

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0633-6

1. „Inutile est", declarat N., „ut hic gonidiis et granulis gonimis reveniam"; quibus verbis (ad normam linguae latinae modo mutatis) facile assentior. Iterum enim iterumque declaravi, me certum de hac re non ausum esse afferre judicium, antequam accuratius sit undique examinata; facillime igitur patet, me minime affirmasse, hunc characterem, melius cognitum, certissime nullius fore momenti. Iterum interea iterumque (verbis plus minus variantibus) asserit N.: „arbitrio solito has distinctiones auctor ei (lege: sibi) non placere declarat". — Observationibus C: i. Schwendener nitidis fretus, in Flora Nr. 29 prima vice animadverti, primam a N. (Syn. p. 9) inter gonidia et „granula gonima" allatam differentiam (praesentiam vel defectum membranae cellularis) re vera non adesse, quum haec non minus quam illa verae sint cellulae, membrana praeditae. Quod vix potest refelli. — Gonidia praeterea diversum interdum praebere colorem, perbene mihi cognitum habeo neque umquam negavi; negare tamen audeo, hanc differentiam semper esse „manifestissimam". Cl. Schwendener, qui longum per temporis spatium hanc quaestionem accurate diligenterque examinavit, multa mihi enarravit; spero illum hanc, ut varias alias de structura thalli res, feliciter esse dilucidaturum. — At etiam si apud gonidia distincta demonstrabitur coloris differentia, dijudicare restat, num ad genera condenda haec nota sit sufficiens. Cur color gonidiorum Cl: o N. majoris est momenti, quam color sporarum? Utut est, repetere non vereor, hanc rem nondum satis esse cognitam exploratamque, quod in scriptis meis tantum dixi dictumque volui. — Verbis suis de gonidiis haec adjunxit Nyl.: „Idem valet de differentiis spermogoniorum, quas negligunt vel aversantur, qui eas non videre valent aut qui inexperientiam suam quodammodo occultare volunt". Quorsum haec spectant verba? Num ad Cl. Nylandrum ipsum? Constat enim illum, huic characteri ad genera lichenum perfectiorum condenda magnam vim addentem, nullum quum de inferioribus (i. e. plurimis) agitur abtribuere momentum.

2. De *Alectoria Thulensi* Th. Fr. (*A. divergente* Nyl. Syn. pr. p.!) verba faciens, declarat: „nomen Deliseanum ei non ignotum fuit et vitio vertendum est novum nomen propositum fuisse". Meum quum prima vice (*Bot. Not.* 1858 Nr. 1) proponerem nomen, Deliseanum (in herb. modo datum nec umquam publici juris factum) mihi omnino erat ignotum, atque postea (in *Lich. Arct.*) meum, typis primum expressum, servavi, quia eam amplector sententiam (cujus veritatem Cl. N. vix neget), ne sit nominibus, ut ita dicam, privatis, „in herb.", „in litt." e. s p. modo datis, jus prioritatis

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0634-1

tribuendum. Me vetera nomina non velle rejecta, testatur *Flora* p. 409; quo modo N. praesentem plantam confuderit, testantur *Synops.* p. 279 atque altum ejus de hac re silentium.

3. *Verrucaria muscorum* Fr. ad specimina a Div. *Aspegren* in Blekingia lecta prima vice in *Syst. Orb. Veg.* p. 287 est descripta; spec. orig. in herb. Fries. asservatum probat, illam eandem esse ac *V. muscicolam* Nyl. Quae quum ita sint, nomen antiquius mortuum declarat N. et „frustra resuscitatum". Cujus progrediendi rationem eo defendi perhibet, quod „ex *Lich. Eur. ref.* p. 432, ei synonymia *V. gelatinosa* Ach. subsumta invenitur et habitatio vaga „in montosis" (ubique?) confusionem certe nimiam sub illo nomine latentem indicat". Locum autem citatum (qui praeterea non est hujus speciei primus fons) adeunti facile patet: — 1) *V. gelatinosam* Ach. minime ut *synonymon* sed ut distinctam *varietatem Verrucariae muscorum* esse subjunctam, atque 2) habitationem, si completa affertur, hanc esse: „Supra muscos, in montosis. Specimina nostra perfecta e Blekingia misit Aspegren!" — Atque jam rogare licet: Quis est typus speciei? Utrum nomen servandum?

4. Variis plantis in herbb. pro *Patellaria myriocarpa* Dc. asservatis, non satis mihi certum visum est (in *Lich. Arct*), num esset *Lecidea chloropolia* Fr., quare, ut expressis designavi verbis, hoc nomen *ad interim* servavi. Quod Cl. Nylandro displicuit. Specimine originali in herb. Candolleano nunc examinato, harum plantarum identitas mihi est clara, quare nomen Candolleanum restituendum.

5. In *Flora* Nr. 29 animadverti, *Cladoniam decorticatam* Nyl. nec. stirpem primariam esse Floerkeanam, nec, ut Nyl. *Syn.* p. 199 contendit, „*Cl. decorticatam* Fr. L. E. p. 226 px. p. Quam rem jam concedit, sed suum nomen ut servet, adjungit: „hic sensus Floerkeanus omnino supprimendus, nam est synonymon *pityreae* Ach". Specimina tamen origg. Floerkeana et Sommerfeltiana hanc sententiam non probant, ut jam in *Flora* p. 455 attuli; cfr. Smrft. *Suppl.*, Fr. *L. Eur.* et Th. Fr. *Lich. Arct.* — Suum erratum ut celet, citat. Fr. *Lich. Suec. exs. n.* 81; qui conatus vix faustus sit habendus, quum jam in *Flora* p. 455 observaverim, falsam hanc determinationem in Fr. *L. Eur.* p. 218 et 227 esse revocatam correctamque.

6. *Arthoniam mediellam* Nyl. attuli (*Flora* p. 454) mihi hactenus ne nomine quidem fuisse cognitam; „neque enim in *Syn. Arthon.* nec in *Enum. génér. d. Lich.* adest". Nunc N. declarat,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0635-7

illam in libello „*Herb. Mus. Tenn.*“ a me nonnumquam citato „*enumeratam*“ esse, quare falsa atque mendacia sint mea verba. — In Germania, Gallia, Helvetia Italiaque jam novem per menses iter faciens, non potui omnes mecum ferre libros botanicos libellosque; citatum igitur opusculum nunc mihi non adest. Verba tamen Nylanderiana non refello. Sit ita; nomen illud ibi vidi aliquando erratumque igitur commisi. Nonne tamen facile potest ignosci? Coactus enim sum memoria tantum niti [1]) nec adeo praestanti praeditus sum, ut diu possim omnia tenere nomina, quae, nulla adjuncta diagnosi vel descriptione, in nudo musaei cujusdam catalogo adsunt enumerata. Quod sane difficile, — sed etiam difficilius est perceptu, quomodo e solo nomine (v. c. „*mediella*“!) speciem possimus determinare ideoque perspicere, nos „non opus habere, novum proponere nomen“. Quod N. „facile“ declarat; mihi e contrario talia nomina, donec diagnosis est data, „manent quasi umbrae inanes, limitibus omnibus certis et substantia seria destitutae“.

7. Cl. Nylandro „mirum sane videtur, eum (me) de typo *Biatorae campestris* Fr. mentionem facere.“ Cur? — Prima vice haec planta ad Håkhult Smoelandiae (cfr. *Stirp. Agr. Femsj.*) est detecta atque primum descripta in *Vet. Ak. Handl.* 1822 *p.* 275. Exemplaria loco allato collecta et in herb. Fries. asservantur [2]) et in *Lich. Suec. exs. n.* 222 distributa sunt, ut e *Lich. Eur.*, *S. Veg. Scand.* etc. facile videre licet. [3]) Quae quum examinaverim, num „mirum“ potest videri, me de typo speciei loqui; mirandum potius est, N. in hac re fidem mihi detrahere. — Quae de *Aspicilia cinerea* et *calcarea* nunc affert, nil novi continent, quare praetereo, silentium ejus de Flotowio modo notans.

8. Principiis necesse esse unumquodque nitatur systema,

---

[1]) Haec conscribenti ne opuscula quidem mea „bina“ ultima, a N. castigata mihi praesto sunt.

[2]) Adest praeterea v. c. in herb. Schaereriano. Lapsu singulari schedulae hujus speciei et *Pyrenotheae incrustantis* Fr. ibi sunt commutatae, unde declaratur, qua ratione nomen *Biat. campestris* Fr. ut synonymon *Lecideae leucocephalae* β. *Mougestii* in Schaer. *Enum. crit.* sit allatum.

[3]) Lectores horum scriptorum ad specimina modo destructa, „a vermibus devorata“, esse delegatos, ut contendit N., risum facile potest movere. Ita sese res habet: primis fasciculi octavi Lich. Suec. exs. exemplaribus jam paratis et distributis, reliqua rarissimae hujus plantae specimina periere, quare in exemplaribus hujus fasciculi postea distributis deest. Inter exemplaria, ubi adest haec planta, citare possum Musaei Upsaliensis (olim Wahlenbergianum), horti Vindebonensis e. s. p.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0636-3

per se patet, et N. affert quoque (in *Prodr. Lich. Gall.*, *Synops.* etc.) nonnulla, suo systemati propria. Quae in *Gen. Heterol.* examinavi atque in *Flora* p. 449 illum adhortatus sum, ut mea contra haec principia sive sententias refelleret argumenta. Nunc respondens [1]) — verba ejus si rite, ut spero, interpretatus sum — „principia" declarat esse „elementum nebulosum", quare de illis disserere non aliud est quam „in nubes abire". Quae quum ita sint, silentium religiose servat, quod, ipsius ut utar verbis, „maxime indubitanter est commodum". — Numquam quidem principia systematis Nylanderiani potui percipere, talibus tamen verbis numquam volui ea designare. Nebulosi quidquid principiis ab illo acceptis inest, silentio non dissipatur, *quare illius responsum adhuc exspecto.* Praecipue gratissimum mihi esset, si benevole vellet me certiorem facere, *qua ratione ductus singula genera ad seriem lichenum* „*adscendentem*" *an* „*descendentem*" *retulerit.*

Quibus quaestionibus jam antea tractatis accedunt sequentes novae, res personam modo spectantes si omittamus:

9. „Enumerare [2]) caute evitavit, quas singula genera contineant species". In *Gen Heterol.* definitiones et synonyma generum praecipuasque attuli species, in *Lich. Arct.* omnes mihi cognitas hujus regionis species. In eo non fui versatus, ut *enumerationem* vel *synopsin specierum* omnium huc usque cognitarum traderem, sed modo ut genera Europaea mihi cognita characteribus circumscriberem; quod faciens, vestigia modo aliorum scriptorum (v. c. Linnaei, Endlicheri, Hookeri etc.) pressi. — Nonnullas species, quod ad genus attinet, mihi non omnino esse claras, non mihi magis vitio est vertendum quam v. c. Cl. Nylandro, dubiis de genere, ubi *Cornicularia tristis* aliaeque species collocandae sint, minime libero.

10. Me „insinuationis indolis solitae innocentis" reum declarat, quia dixi, genera illius *Cetrariae* et *Platysmatis* notis e spermo-

---

[1]) Declarat N., me „evidenter praesertim iis scribere, qui credunt potius quam examinant". Interrogare licet, *quibus* scribit N., quum v. c. mea verba: mihor deinde accessit, quod .... levissimas modo quasdem res aggressus est neque principia, quibus nititur differentia inter ipsius aliorumque sententias" hoc modo transcribit: „reprehendens dicit D. Fries de me: „quasdam res aggressus est neque principia". Cur non in nubes abire? Elementum nebulosum principiorum" etc. — Eadem methodus aliis quoque locis est adhibita.

[2]) Legitur quidem in *Flora* p. 530: „Evitare caute evitavit", quod lapsu calami evidente ortum mihi videtur.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0637-9

goniis desumtis niti. Quod e comparatis definitionibus (Syn. p. 298 et 301) apertum mihi videtur, nec refellitur haec opinio ipsius de *Platysmatibus* verbis (Syn. p. 301): „Differunt praecipue spermogoniis a *Cetrariis*, at forsan his vere nimis affinia sint habenda". *Quaenam sunt ceterae notae?* — Dubitans dixi *Parmeliam sciastram* Ach. *forsan* esse synonymon *Platysmatis commixti* Nyl., descriptione Achariana et auctoritate veterum auctorum fretus; *forsan* haec conjectura est „infausta", non tamen horrenda.

11. Pro „insinuatione manifesta, quam auctor nomine scientiae scribere non metuit", facile haberes, b. l., verba illius: „in scriptis Friesianis observari potest magna saepe similitudo diagnosum cum iis ab auctoribus ante datis, et interdum fere totae transcriptae leguntur". Acie tamen hoc telum caret, nam jam ipse (in *Lich. Arct.* praefat.) aperte daclaravi, me majorem minoremve diagnosum partem e scriptis auctorum citatorum interdum sumpsisse, quum bonas atque convenientes eas inveni; inutile enim mihi visum est, unum quemque auctorem novas omnium specierum dare definitiones, ordine verborum aliove simili modo tantum variantes. Melius interdum esse antiquas servare diagnoses, quam novas conscribere, demonstrat descriptio Nylanderiana *Anziae colpodis*, ut jam (*Flora* 1861 Nr. 25) demonstravit Cel. Stizenberger.

12. Suas „circa scripta Friesiana adhuc (!) observationes" quibusdam „facetiis" [1]) ornans, declarat: „posteri judicabunt". Quorum judicio libenter me subjicio atque etiam virorum „maxima auctoritate et judicio certissimo in hac re botanica gaudentium vel existimatorum maxime intelligentium vel expertorum vel arte analytica maxime insignium hodierni temporis". Iudices hi sint inter

Cel. Nylandrum, qui, ipso teste, „emolumento solo scientiae est occupatus", qui „dispositioni systematicae loco arbitrii normam et basin anotomicam dedit", qui „satis superque scriptis et figuris editis demonstravit gonidiorum momentum esse summum (!) inter characteres lichenum", qui „forte diligentius quam ullus alius scriptor hodiernus, easdem res tractans, basin quaesivit nomenclaturae seriae", qui „confusiones studiis suis haud parum extricavit, affinitates et distinctiones veras notis analyticis demonstrans", qui „non

---

[1]) Quales hac vice sunt „contumeliae cumulatae", „insinuatio nova" „infausta conjectura", „insinuatio indolis solitae innocentis", „sententia titubans et turbida", „verba contorta", „experientia analytica minus matura", „confusio certe nimia", „peccata", „irae maximae et vere miserandae" similesque, e scriptis Nylanderianis jam satis superque cognitae.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0638-5

eget serio se defendere contra sententiam, quae vellet, ut irrita essent studia sua, si cum aliorum comparantur", qui „monuit, decenter et aequo animo faciendas observationes criticas nihilque esse stupidius, quam res personales ambitiosasve scientiae immiscere velle", qui „numquam dignum habuit auctorem Upsaliensem sequi per contumelias et insinuationes torquentes", qui „denuntiatas solum voluit et veritati debuit insinuationes contumeliosas Friesianas" atque „errores simul quosdam indigitavit, et haec omnia justo quidem lenius", qui „semper declaravit se nominum gloriolam parvi aestimare", qui „arrogantiam et res personales ambitiosasque in scientia intrusas despiciendas habet" e. s. p. — atque „superbum magistrum Upsaliensem", cujus „judicium certissime minimi est ponderis minimaeque auctoritatis", cui, ut perhibet N., „in ipsa schola Massalongó-Körberiana [1]) nemo assentiat", qui „verba prolixe effundit" et „in nugis scholasticis excellit", qui „contumelias et insinuationes torquentes effundere nisu continuo occupatur" et tamen „innocentis et a culpa remoti partes agit", qui „insinuationibus contumeliosis Friesianis scripta sua conspurcavit", qui „genera innumera notis levissimis vel inobservantibilibus discissa, divulsa, dilacerata rabie cumulat", qui „ex auctoribus haurit quod affert", qui lubrice respondit, lubrice fugit", qui "clangore et strepitu procedit, ut credere faciat, se magnum esse Herculem", qui „contumelias impavide emittit et postea innocentis stupefactique aut indignati comoediam agit", qui „sordibus se polluit" e. s. p.

Vereor, ne ex judicibus nostris haud pauci assentiantur Cl: o Nylandro declaranti: „viri scientia occupati modum magis observare solent".

Dabam Vindebonae Kal. Novembr. MDCCCLXI.

---

[1]) „Es lässt sich indess über Ansichten nicht weiter streiten, und Hr. Fries, dessen gewissenhaftes uud logisches Verfahren in seinen systematischen Werken mir nur in hohem Grade zusagen kann, hat vielleicht die Freude, die Mehrzahl der Meinungen der übrigen Lichenologen für sich zu gewinnen."
Körber, *Parerga* p. 229.

Verkäufliche Algen vom Adriatischen Meere.

Algae maris Adriatici collectae et determinatae a Pio Titio. Sp. 100.
Preis fl. 14 rh., Thlr. 8 pr. Ct., Frcs. 30, L. 1. 3. 4. St.
Die Sammlung besteht aus folgenden Arten:

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0639-3

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1861

Band/Volume: 44

Autor(en)/Author(s): Fries Theodor [Thore] Magnus

Artikel/Article: Recentes animadversiones Nylanderianas 631-637